

## PSALMVS XXXI.

AD PRÆCINENDVM PSALMVS DAVIDIS.

ARGVMENTVM PSALMI.

**H**aud inani coniectura duci videntur, qui Psalmum hunc ad eam historiam respicere putant, qua 1. Sam. 23. legitur, in qua Dauid ab exercitu Saulis sic cōclusus fuisse scribitur, vt euadere se posse desperaret. Et ea coniectura sumi potest ex versu Psalmi huius vigesimo secundo in quo dicit: Ego autem dicebam, cū præceps fugerem. Verbum enim illud פחד, nisi fallor, in Scripturis de Davide nusquā reperitur, nisi loco supradicto, 1. Sam. 23. vbi sic legitur: ויחיי דוד נחפז ללכת מפני שאול: id est, Et erat Dauid festinans, vel anxius, aut præceps: ad fugiendum à facie Saulis. Quod autem פחד anxia huiusmodi & præceps fuga sit, videre est 2. Sam. 4. in fuga nutricis Mephiboseth filij Ionathæ, quo loco sic scribitur: Et Ionathæ filio Saulis erat puer claudus pedes, puer quinque annorum, cū nunciaretur interitus Saulis & Ionathæ ex Israël, Et apprehendit eum nutrix eius, & fugit, & accidit בחדו לנרס: id est, cū anxia & præceps ad fugiendum, cecidit puer, &c. Cū ergo talis fuga ac præcipitationis suæ recordetur in hoc Psalmo Dauid, haud præter rationem argumentum ex eo sumitur, de eo periculo compositum esse hunc Psalmum, in quo ad eum modum præcipitauerat ac festinus fuisse scribitur.

Est autem hic Psalmus sic compositus, vt varijs sit affectibus mixtus. Tam orat Propheta: iam bene fudit: iam queritur & æstuat, mox gratias agit & exultat. Apparet verò ad hunc modum esse eum attemperatū à Propheta, vt declararet, quo fuerit in illis periculis animo. quas passus sit angustias, quæ & quomodo ad Deum precatus, & quomodo per illum à medijs angustijs ereptus sit ac liberatus: quæ omnia post liberationem ad id commemorare, ac carmine publicè decantando complecti voluit, vt populum Dei suo doceret exemplo, qua deberet esse erga Deum fide ac fiducia, & ad illum in tribulationibus confugere, vnde & diuina bonitatis deprecationem interserit, & pios quosuis ad fiduciam & dilectionem erga Deum amplectendam hortatur.

## Dispositio Psalmi.

Vicissitudo affectuum in hoc Psalmo sextupla est. Primum, magna cum fiducia ad Deum orat: vt pote versibus 1. 2. 3. 4. 5. & 6.

2. Deinde, magno cum gaudio propter acceptam opem diuinam exultat: versibus 7. & 8.

3. Tertio, queritur de calamitate sua, qua fuerat ad obrutus: & exprimit, quis fuerit ipsi querimoniarum æstus ad Deum cū in angustijs esset constitutus: versibus 9. 10. 11. 12. 13. & 14.

B 4. Quarto, iterum ad preces cōuertitur, quas ad Deum insigni fiducia præditus fundit: vers. 15. 16. 17. 18.

5. Prædicat diuinam bonitatem: versibus 19. 20. 21. 22.

6. Hortatur & alios, vt diligant Deum, fortiq; in illum fiducia sese muniant: vers. 23. 24.

**N**te Domine speraui, ne confundar in aeternum, in iustitia tua eripe me. VERS. I.

2. Inclina ad me aurem tuam, accelera vt eripias me: esto mihi in petram robustam, in domum munitam, vt me serues.

3. Quoniam petra mea & munitio mea es tu, & propter nomen tuum deducas me, & dirigas me.

4. Educ me è reti quod absconderunt mihi: quoniam tu es robur meum.

5. In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis.

6. Odi obseruantes ea quæ vana sunt frustra, ego autem in Domino speraui.

7. Exulto & lætor in benignitate tua: quod videris ad afflictionem meam, agnoueris in tribulationibus animam meam.

8. Nec concluderis me in manus inimici: statueris in locum spaciosum pedes meos.

9. Miserere mei Domine, quoniam in angustia sum: contabuit præ dolore oculus meus, anima mea, & venter meus.

10. Quoniam consumitur in dolore vita mea, & anni mei in gentibus: concidit propter iniquitatem meam virtus mea, & ossa mea contabuerunt.

11. Propter tot hostes meos factus sum opprobrium & vicinis meis valde, & timor notis meis: qui me vident in plateis, fugiunt à me.

12. Obluioni datus sum tanquam mortuus à corde: factus sum quasi vas perditum

13. Quoniam audiui vituperationem multorum: timor circumquaque, dum consultant simul aduersum me, auferre animam meam a stute cogitant.

14. Ego autem in te speraui Domine: dixi, Deus meus es tu.

15. In manibus tuis sunt tempora mea: eripe me de manu inimicorum meorum, & à persequentibus me.

16. Illustra faciem tuam super seruum tuum: serua me in benignitate tua.

17. Domine ne confundar, quòd inuocaui te: confundantur impij, sileant in futuro.